dei violauerit: diſperdet illū deus
Nec valet ſi quis diceret: hoc
cōcludere de leſione iuſtorum. quia
quo ad quedā. grauius eſt lede
re occidendo peccatorem quam iuſtū
Quia pſ. dicit mors peccatorum peſ
ſima. Eo quia ſtatim forte dāna
tur. Sed preciosa eſt in conſpectu
dñi mors ſcōrum eius ¶ Capi. ij.

Nunc de cauſis homicidij
a videndū ē. que ſūt ira
et inuidia. put xp̄us no
tat Math. v. d. Audiſtis quia
dictū eſt antiquis. nō occides.
q̄ autē occiderit reus erit iudicio
Ego aūt dico vobis. qui iraſcitur
fratri ſuo: reus erit iudicio. Ecce
prohibicio ire. Et ſtatim rancorē
inuidie prohibēs ſubiūgit. Si
ergo offers munus tuū ad alta
re. et ibi recordatus fueris. quia
frater tuus habet aliquid aduerſū
te relinque ibi munus tuū et va
de prius recōciliari fratri tuo et
tunc veniēs offeres munus tuū

b ¶ De ira igitur Primo viden
dum quam malū viciū ſit. Secūdo
quādo vicium ſit. et quando non.
Tercio de remedijs contra iram
Quātum ad primum nōndum.
quia ira ideo eſt magnū viciū. quia
capitale. Ex quo ſecundum grego. li.
xxxi. mora. Sex naſcuntur filie
viz Indignacio. tumor. clamor
cōtencio. blaſphemia. et rixa. que
poſtea declarabūtur. Vñ deus
ira multū offēditur Primo. quia
per talia peccā. hoſpitiū dei turba
tur Ephe. iiij. nolite cōtriſtari
ſcm̄ dei ſpm̄. greg. dū ira animū
pulſat ſpūiſcō habitacōem ſuā tur
bat. primo quoque patrem et filiū et
ſpm̄ſcm̄ de habitacōe cordis eicit.
et dyabolū introducit. Quia ſi
cut ſecundum pſ. In pace factus eſt lo
cus eius ſcz dei Ita in ira locus dya
boli. ¶ Secūdo quia ymaginem c
dei in tēplo cordis diſſipat. vñ
Job. v. Virum ſtultū interficit ira
cundia. Sup quo greg. Mā
ſuetudo in nobis ymaginē dei ſer
uat. qui ſemper tranquillus eſt. ſed
ira diſſipat. que multis virtuti
bus priuat. Tercio quia tēplū dei
incēdit. vñ pſ. Incenderūt igni
ſanctuariū tuū in terra. Et. i. cor. iij.
Neſcitis quia templum dei eſtis vos.
et ſpiritus ſanctus habitat in
vobis. Si quis autē templū
dei violauerit: diſperdet illum
deus. Secūdo malum ire oſtē
ditur. quia homini valde nocet. In
aīa. corpore. et rebus. In aīa quidē
propter vicia pretacta. Aīa enim que
ad ymaginē dei ē formata mul
tis malis aſſimilat. Primo. quia
iratus eſt velut homo ligneam
hñs domum. cui quandoque accidit
quod veſpe diues ē. et mane nihil
habet quia ignis totū vaſtauit. ſic
etc. facit ira domui cordium. quo cō
tra ait apſtus Ephe. iiij. Sol nō
occidat ſuper iracundiā vrām
Secūdo aſſimilatur demoniaco.

de quo dr marc̄·ix°·Magr̄ at
tuli filiū meū ad te hn̄tem ſpi
ritū mutū·qui vbicūqȝ apphē
derit eū:allidit eum ⁊ ſpumat.
⁊ ſtridet dentibus·Tercīo aſſi
milatur olle nimiū habēti de
igne que ebuliēdo emittit qd̄
in ea erat optimū ⁊ poſtea cre
pat·vn̄ prouerbi·xv°·Os fatuo
rū ebulit ſtulticiā·Quārto rap
no aſſimilatur·qui ignem ex
ſe producit·ſcḋm ioſephū ex im
pctu venti ⁊ ſe ⁊ alia deſtruit·
Quinto beſtijs ⁊ apro·cani ra
bido ⁊ vrſo aſſimilatur ira·Jd
circo aſſimilatur ſerpentibus
ignitis qui interfecerūt filios
iſrahel in deſerto·numer·xxi°.
Nocet etiam corpi multiplici
ter·Primo amarum reddit ho
minē·quia ira ſcḋm dam̄·ē eua
poracō fellis·⁊ ſcḋm Auguſt·in
epl̄a ad nebridiū·ira creſcente.
augetur fel in corpe·Secūdo
triſtitiam ingerit·animus gau
dens etatē floridā facit·ſꝫ ſpiri
tus triſtis exſiccat oſſa·puer·
·xvij·Tercio membris valitu
dinem ⁊ ſanitatem adimit qꝛ
totum corpus ꝓpter ſāguinis
ebulicōnem ⁊ ſpirituū turba
cōnem alteratur ſcḋm medicos·
Quarto vita citiꝰ priuat·vnde
ſcḋm phos·Animalia iracūda bre
uiores hn̄t ꝑyodos ceteris pa
ribꝫ·Quīto demoni interdum
corpus totū ꝓpter irā poſſiden

dū traditur·ut accidit interdū
blaſphemantibꝫ in ira·Nocꝫ
etiā rebꝫ·qꝛ iratis familia triſte
ſeruit·Amici tales fugiunt:⁊
prudentes horrent·ex quibuſ
pauca tēpalia iratus ꝓcurat·
¶ Tercīo malum ire oſ̄ditur·
qꝛ dyabolo multum placꝫ·Pri
mo qꝛ valde potens efficitur
ad deſtruendū bona virtutū
mediāte ira·ſic etiā homo me
diāte igne qui eſt maxime ac
tiuus multa mala facit·de quo
igne pōt intelligi illud Johel·
·i·ad te dn̄e clamabo·qꝛ ignis
comedit ſpecioſa deſerti·⁊ flā
ma ſuccendit oīa ligna regi
onis·Secūdo placꝫ dyabolo:
qꝛ racōis cecitatem inducit ira.
ad quam ſequūtur multa ma
la·vn̄ ſicut puer·xiiij°·dr·Regi
ſcꝫ celeſti acceptus eſt miſter
intelligens·Sic regi inferna
li cecus·Nam iratus ſe in pa
tientem facit:filios·vxorem·fa
miliam·⁊ extraneos·⁊ illicita
oīa ſibi licita putat iratus·qꝛ
oīs ira appetit vindictā ſub ra
cōne ⁊ apparencia iuſti·Jdeo
puer·xv°·Expedit magis vrſe
occurrere raptis fetibꝫ q̄ fatuo
confidenti ſibi in ſtulticia ſua
Tercīo dyabolo placꝫ qꝛ bona
multa ſibi ꝓcurat ꝑ iram Non
enim vnū hominē ꝑ iram lucra
tur·ſed interdū genealogiam
totam vel ꝑtiam ꝑ rixas·vnde

pū·xv· Vir iracūdꝰ rixas ꝓ
uocat·qui aūt paciēs eſt miti
gat ſuſcitatas·Exemplū de ca
ne iracūdo·qui oēs alios pro
e uocat· Qn̄tū ad ſecūdū qn̄
ira ſit pctm̄·natuā·vel meritū·
Sciendū ꝙ ſm tho·i·2·q·lvi·
Et·2·2·q·Clviij·Et pħm·ij·Re
tħ· Ira ſeptem gradus pōt hr̄e
Primꝰ eſt ymaginacō verā vel
falſa·de leſione vel puipenſiōe
facta tibi in perſona tua rebus.
amicis.⁊ hmōi·Et ibi ē fūdam̄
tū oīs ire· Quia q̄libꝫ ira a ta
li incipit ymaginacōe que ſepe
falſo innititur intero ec vero·
Ex quo ptꝫ ꝙ verꝰ hūil' q̄ oia
ſibi illata putat iuſta eē·⁊ dei
miſericordis ſalutare flagellū·
difficult' iraſcitur·ꝙ tribulaci
ones non recipit ut leſiones ſꝫ
ſic̄ dei patris medicinales īciſi
ones: Scd̄s gradꝰ eſt poſtꝙ̄
q̄s iudicauit ſe leſū vel vilipen
ſū ab alio: cū natuāle ſit nocu
mēta r̄pellere: ſurgit q̄dā vehe
mens ⁊ impetuoſus aī motus
q̄ eſt appeticō vīdicte vl' motꝰ
inclinās fortiter ad vindicte ir
rogacōem·⁊ hic appetitus vi
dicte potētie iraſcibilis eſt ira·
ꝓut ē paſſio Vnde ſup illo ma
tħ·v·Oīs q̄ iraſcitur fratri ſuo.
dicit glō· Ira eſt vehemens mo
tus animi ad nocendū·hec ira
ſi eſt tam ſubita ī aliquo ut ꝓ
uemat oēm deliberacōnem racō

nis ⁊ omnem motum volunta
tis·Dicitur primus motus·Et
quia non eſt ī poteſtate nr̄a ſi
cut nec ceteri primi motus· Id
circo non eſt peccatum·ſed pe
na poteſt eſſe peccati·Hec em̄
ira non eſt peccatum q̄ diu nō
dependet a voluntate poſitiue·
ſcilicet eam volendo·aut priua
tiue ei non reſiſtendo cum poſ
ſit· Vnde Auguſtinꝰ ſuper il
lo pš· Iraſcimini ⁊ nolite pecca
re· Si ſurgit motus ire q̄ pro
pter penam peccati non eſt in
poteſtate noſtra ſaltem mone
at conſciencia·ut ei non cōſen
ciat racō·ut mente que regula
ta eſt ſm deum ſeruiamus legi
dei·ſi adhuc carne ſeruiamꝰ le
gi peccati·Ad illum autem mo
tum qui eſt appetitus vindicte.
vel repulſionis nocumenti·id
eſt ire ſequūtur naturaliter t'a
Primo euaporacio fellis·Vnde
Auguſti·in epiſtola ad nebri
dium·Aſſiduitate iraſcendi fel
creſcere eciā medici affirmant
Cremento autem fellis rurſus
et facile ac prope nullis cauſis
exiſtentibus iraſcimur·Ita ꝙ
ſuo motu animus fecit in corpo
re: ad eum rurſus commouēdū
valebit·Secūdo ſeq̄tur aſcen
ſio et accenſio ſanguinis circa
cor·et cordis dilatatio·Vnde
materialiter Ariſtoteles diffi
nit iram dicēs· Ira eſt accenſio

ſanguinis circa cor·totū etiam
corpus on̄ter caleſcit·Tercio
ſequitur turbacō ꝛ inordina
cio ſpūum ꝛ humorū·q̄ tria
cōplectens dam̄·ſic dicit·Ira ē
feruor eius q̄ circa cor eſt ſāgui
nis ex vaporacōe fellis vel per
returbacōnem fiens·Sicut ei
ad motum localem naturalit̄
ſequitur in corpe apto calor·
ſic ad appetitum vindicte vel
repulſionem nocumēti natura
lit̄ ſequūtur ī corpe p̄fata tria
f ⁋ Tertius gr̄dus eſt cū racō
poſſꝫ ꝑcipe talem deordiacōez·
ꝛ volūtas poſſꝫ moderari vel ex
tinguere·ꝛ neutrū fit·ſꝫ negli
genter ābo ſe hn̄t ꝛ tn̄ poſſent
vigilantia ſua talia repmere ꝛ
tunc fit ira peccatū: veniale q̄dē
qn̄ ira preuenit rōez·ſic ut p̄mit
titur·ꝛ vltra nō progreditur
nōbiliter·vigili ei aimo hō in
teriora tanq̄ oim bonoꝝ ꝛ ma
loꝝ pricipaliſſima aſſidue cu
ſtodire deberet·ne hoſtis qua
cūqꝫ parte lederet·ſed quia hoc
pauci faciunt·idcirco veras vir
tutes pauci poſſidēt·licꝫ multi
de exterioribꝫ magnā vim faci
ant·vn̄·i·thi·iiij·Corporalis ex
ercitatio ad modicū vtilis eſt.
pietas autē ad oia. Quartus
gradus eſt qn̄ racō ꝑcipit iraꝫ
ꝛ appetitum vindicte·ſꝫ tn̄ de
libracōem racōis ira p̄uenit·ꝛ
tunc volūtas pōt in ira cōſētire
ſaltem ſurrepticie: poſitiue iram
volendo·vel in ea cōplacēdo·aut
p̄uatiue ei non reſiſtendo·ſꝫ cā
in aimo cōtinuat vel inualeſce
re ſinit·ꝛ ſic eſt veniale·ſꝫ ma
ius q̄ in tercio gradu: ſaltem
quādo ira adhuc recens eſt quia
deliberacōe racōis moderari nō
potuit qd̄ dr̄ ꝓpter eos q̄ ſtatī
irati verbis maledicis ſeu male
dictis·vel gladio proximos le
dūt qui non excuſantur·ut ſu
pr̄ de blaſphemia patuit p̄cep
to·ij·c·iiij·d ⁋ Quintus gra g
dus ꝛ duo ſequētes ſunt quos
xp̄us ꝓhibuit math·v·dicēs
Ois q̄ iraſcitur fratri ſuo reus
erit iudicio Qui aūt dixerit fra
tri ſuo racha reus erit conſilio·
Qui aūt dixerit fatue·reꝰ erit
gehēne ignis·Vnde dicit tho·
·2·2·vbi p̄us dominꝰ math·v·
tm̄ ponit tres gradus ire: non
ſpēs·qui gradus accipiūntur
ſcḋm proceſſum hūani actꝰ·ī quo
p̄mo aliquid ī corde cōcipitur·
ꝛ q̄tum ad hoc dicit. Qui ira
ſcitur fratri ſuo·Secūdo autē
cū ꝑ aliqua ſigna exteriora ma
nifeſtatur exteriꝰ ecia āteq̄ ꝓ
rumpat in effectū ꝛ q̄tum ad
hoc dicit·Qui dicit fratri ſuo
Racha·qd̄ ē interiectio iraſcen
tis·Tercius gradus ē quādo
pccm̄ interiꝰ cōceptum ad effe
ctū ꝑducitur·Eſt aūt effectꝰ
ire nocumētū alterius ſb̄ rōne

vindicte. Minimum autem no
cumentorum eſt quod fit ſolo
verbo. Et ideo qn̄tum ad hoc
dicit. Qui dicit fratri ſuo fatue
Vnde ſm̄ Auguſtinū in p̄mo
gradu eſt vnum ſcꝫ ira tm̄. In ſe
cundo duo. ſcꝫ ira ⁊ vox. In ter
cō vero tria. ſcꝫ ira ⁊ vox ⁊ i vo
ce vituperacōnis exp̄ſſio. Et ſic
ptꝫ ꝙ ſecūd addit ſup p̄mū. et
t̄ciū ſup vtrūqꝫ. vn̄ ſi p̄mū eſt
pctm̄ mōrle i caſu i q̄ dn̄s loq̄
tur ſic dictū eſt: multo magis
alia. Ideo ſingulis eorum ponū
tur correſpondentia aliqua per
tinentia ad condemnacionem
Sꝫ in p̄mo pōitur iudiciū. q̄d
min⁹ ē Quia ut Aug⁹. dic̄. In
iudicō adhuc datur loc⁹ defen
ſiōi. In ſcd̄o vero pōitur ꝯſiliū.
in quo iudices inter ſe cōferunt
quo ſupplicō dānari debeat vel
oporteat. In tercō ponit gehen
nā ignis. que eſt certa damna
cō. Et licꝫ aliquib⁹ miꝝ videa
tur. ꝙ aliquis ꝓ minimo nocu
mēto q̄d fit ſolo verbo fit reuſ
gehenne ignis Crib̄. tn̄ ꝯn̄dit
hoc non miꝝ eſſe. cū qn̄qꝫ pua
verba plura homicidia pepererit.
⁊ ciuitates ⁊ regna euerterint.
nec tamen puum eſtimes fr̄ꝫ
ſtultum vel fatuum vocare au
ferens prudentiam ⁊ intelligē
ciam quo hoīēs ab irracōna
libus diſtant. Exempla vide
vinc̄. in ſpe. hiſto. Primo quō

narſes Rome patrici⁹ cū ytali
am totā ab hoſtib⁹ librāſſꝫ. Et
impator Juſtin⁹ cū romanis i
gratus hūū narſetis in patciū
creaſſꝫ: vxor iuſtiniā narſeti
cōſtātinopolim exulāti ſic deri
ſorie demādauit. In cōſtātino
polim r̄mea. ⁊ cū puellis tuis
in genicō feiaꝝ lanarū p̄ſa di
uide. Ad que v̄ba narſes reſpō
dit Talē ſe telā ordituꝝ quam
dū viuerꝫ nō deponerꝫ: q̄d ⁊ fe
cit nam ⁊ lōgobardos de pāno
nia vocauit q̄ totā ytaliā in bre
ui optinuert. excepta roma et
rauēna. Sic cū ſpado impato
ris eraclij rogas ⁊ dona vel ele
moſināś militibꝫ diſtribuerꝫ. et
ſarraceni impatori militātes idē
peterent: Spado eis dixit. vix
ſufficit īpatori dare rogas mili
tibꝫ ſuis Quāto magis canibus
iſtis. Qui exacerbati conuocatis
alijs ſarracenis i breui romāḡ
tibꝫ malis vexauerūt. ¶ Quā h
do autē ira ſm̄ predictos tres
gradus ſit mortale. vel quādo
veniale peccatum. Nota p̄mo
ſm̄ tho. vbi prius ꝙ ira ſit qui
tupliciter peccatum. Cum eni
ira ſit appetit⁹ vindicte. Vin
dicta ſit iniuſta quadrupliciť
Primo quando quis ex ira pu
nit. vel vult illum punire qui
non meruit. Secundo quan
do maiorem penam illi inferre ā
inferre appetit ꝙ̄ ille demeruit

Tercio ſi tantā quātā demeru
it·ſʒ non ſm ordinem iuſticie·
ut qꝛ vult punire aliquē ꝑ ſeip
ſum·cuiꝰ ſuꝑior non ē aut ſm
ꝑmiſſiōeʒ alteriꝰ ad debitū
ordinē iuſtitie requiſiti·Quā
to ſi iuſtam penam ⁊ ſcd̄m or
dinē iuſticie infert:non tamē
bona intencōne·aut non ꝓpter
bonū ⁊ debitū finē·Debʒ eni in
tencō ꝑuenientis eſſe bonū ipſius
ꝑuiti·aut ↄſuacō iuſtitie omu
nis ꝗ dei honor·ita ut peccans
corrigat ſe vel alij ꝑ eiꝰ exēplū
⁊ dei honor fiat·vn̄ ſemꝑ pec
cat q̄ ex odio vel rācore in ma
lū alterius vindcām appetit·ꝗ
ut puniēs dicatur ſtrennuus·
aut bonus iuſtitiarius·aut ꝓp
ter lucrū·aut ꝓpter ſaciari vin
dicta·aut ꝓpter aliū malum
finē·Quīto ira ſit peccatū ꝓpter
modum indebitū·id ē nō bene
modificatum·etiā ſi prefata ca
ueantur ſaltem q̄daʒ·ut pote·
ſi q̄s nimis ardenter iraſcitur
interius·vel ſi nimis exterius
maiſeſtat ſigna ire·Ira igr̄ ſm
tho·qn̄ ſcd̄m quatuor modos
ꝑmos vel aliquo eoꝝ homo in
fert aut vult inferre talē vindi
ctā alteri:eſt de ſuo gn̄e pcc̄m
mōrle·qꝛ contrariatur iuſticie
⁊ caitati·¶ Poteſt tn̄ ↄtigere
ꝙ talis illacō iniuſte vindicte·
⁊ etiam volicō infrēdi·⁊ etiaʒ
ira ad hoc inclināſ eſſet ſolum
peccatum veniale·ut cū q̄s ap
petit ſe vindicare i aliquo mo
dico·qđ quaſi nihil ē reputan
dū·ita ꝙ illđ ita modicum ſit·
ꝙ ſi actu inferretur:non eſſet
mōrle·ut ſi quis parum tr̄hat
alienum puerū ꝑ crines vel ali
qđ hmōi faciat·vel etiaʒ manʒ
veniale pcc̄m propter impfe
ctioneʒ actus·ut cū motus ire
ſbito oritur in aīmo ⁊ ꝑuenit
iudicitū racōnis ut i antedictis
declaratum ē·Qn̄ aūt quis qn̄
to modo iraſcitur appetēs vindi
ctam·ut ſi quis nimis ardent̄
iraſcitur interius·vel nimis ex
teriꝰ maiſeſtat ſigna ire·Sic
ira ſm ſe non hʒ ex ſuo genere
racōem pcc̄i mōrlis·pōt tamē
ↄtingere ꝙ ſit pcc̄m mōrle pu
ta ſi ex vehementia ire aliquiſ
excidat a dilectiōe dei ⁊ ꝓximi·
hec ſnialiter thō·Dicit quidā
alius doctor·Si ↄſideretur in
ordiacō ire ex ꝑte modi iraſcē
di puta ꝗuis iſta vindicta iu
ſte ⁊ debite appetatur·qn̄ tam
multum inordinatus ē motuſ
ire·⁊ nimis vehemens interiꝰ
⁊ exterius·tūc credo ſi ꝓcedat
ex habitu vicōſo ſcʒ ex ſupbia·
vel inuidia vel ex ira etiā inha
bituata volūtate·vbi habituſ
eſt ⁊ ꝑncipia ex q̄bʒ talis mo
tus ꝓcedit ſūt mōrlia·Credo
etiā ꝙ illa inordiacō ire ſit pec
catum mōrle·Racio eſt quia

referṫur in eūdē finem vicij. vn
de procedit. vel ſi non ꝓcedat
ex habitu vicioſo. ſꝫ ex hoc gra
ue ſcandalū ↄcitatur. Puta qꝛ
ille cōtra quē iraſcitur mō inoꝛ
dinato. vel alij audiētes vel vi
dentes ad pccā moꝛtalia impel
lūtur. p hoc qꝛ motꝰ hmōi ire
tam inoꝛdinatus eſt qui alias
ad dicta pccā nō mouerētur.
pccīm moꝛle credo in dicto mō
cōmitti. Si tñ talis motus in
oꝛdinatus non ꝓcederꝫ ex ha
bitu vicioſo. nec graue ſcanda
lum generarꝫ. ſꝫ ex naturali cō
plexione iraſcentis proueniret.
qui foꝛte multum eſſet colericꝰ
⁊ debilis: vel infirmus. ⁊ alias
nimis colera infectꝰ. poſſet eſſe
pccīm veniale. niſi tūc debilitas.
vel motus colere inoꝛdinatam
accēſionem ire cauſans ex cul
pa moꝛtali ꝓueniret. puta ex
nimia ebrietate vel gula. vł ali
quo hmōi. vel ipſe motus inoꝛ
dinatus ire intūtū iraſcentem
inflāmaret qꝛ a caritate dei vel
ꝓximi caderꝫ. ¶ Capi. iij.

a Dubitatur hic primo
quomō ira ſit capita
le viciū. Rñdꝫ tho. 2. 2.
vbi prius. Ira dr̄ vicium capita
le. eo qꝛ multa vicia ex ea oriā
tur. Tū ex pte obiecti qd̄ mul
tū hꝫ de racōe appetitꝰ. inqꝫ tū
ſcꝫ vindcā appetitur ſub racōe
iuſti ⁊ honeſti. qd̄ ſua dignita

te allicit. Obiectum enī ſeu cā
prima omnis ire in nobis. eſt
appetitus vindicte ſub apparē
tia. vel exiſtēcia. ut ſi aliqs no
bis intulit iniuſtum aliquod.
iniuriā. vel puipendit nos ꝓpt̄
que merito ſit vindicta ſibi in
fligenda. Tū etiā qꝛ ira ex ſuo
impetu mētē hꝫ precipitare ad
inoꝛdinata queqꝫ agenda. Io
glō. ſuper illo ꝓuer. xxix. Vir
iracundus prouocat rixas. Ia
nua inquit viciorum omnium
eſt iracundia. qua clauſa. vir
tutibus intrinſecus dabitur q̃
es. qua aperta ad omne facinꝰ
armabitur animꝰ. Ira enim dr̄
ianua viciōrum p accidens qui
dem. remouēdo vicꝫ ꝓhibens.
id eſt impediendo iudicium ra
cionis per quod homo trahi
tur a malis. Directe autem et
per ſe eſt cauſa aliorum ſpecia
lium viciōrum que dicuntur fi
lie eiꝰ. Et ſm greḡ. libro. xxxi.
moꝛa. ¶ Sūt ſex. duo in coꝛde. b
tria in oꝛe. ⁊ vnum i facto. Pri
ma filia eſt indignacō. qua ho
mo illū contra quē iraſcitur re
putat indignum ut ſibi quid
tale fecerit. quod videtur eſſe
quedam vilipenſio. ꝓmo q̄dam
contemptus proximi. Secun
da eſt tumoꝛ mentis ut cum ira
ſcens r̄plet animū ſuum diuer
ſis cogitacōibꝰ amaris. quibꝫ
apd̄ ſe aliqñ cogitat diuerſas